



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De misericordia humana & eius excellentia, & de infinita misericordia
diuina, cui nos pro posse conformare debemus. Cap. LXXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

III. Tertius proinde gradus mentis in aeternis figit, quia illam cum Deo aeterno perpetuo foedere sociat. Tunc enim iustitia est sic cum superna & diuina mente sociari, ut iam seruet cum ea perpetuum foedus, illam inseparabiliter imitando.

IIII. Quartus denique gradus in solo Deo est, qui omnem creaturam sua perpetua & inflexibili lege iuste regit: & sic est virtus exemplaris, quae perenni lege à sempiterna operis sui consummatione non deflectitur: quod est idem, quod est observatio legis aeternae in operibus suis.

De misericordia humana & eius excellentia, & de infinita misericordia diuina, cui nos pro posse conformare debemus.

Cap. LXXXII.

QUAM pulchrae sunt mammae tuae soror mea sponsa. Cantic. 4. Verba sunt sponsi, quasi dicere volentis: O soror mea, per voluntatis conformitatem, & per regni cohaereditatem: & sponsa mea, per fidei subarrhationem, per lectuli communicationem, & per mutuae charitatis unionem, laudasti me in prioribus, dicens: *Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia unguentis optimis*, quae nimirum sunt in expectando peccatores longimitas, & in condonando benignitas, quae mentes deuorum satiant & confortant, secundum illud: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: nunc e conuerso te commendo, quia bonitati appropinquans, viscera pietatis accepisti, ut sic ad alios ex charitate mouearis, licet amare me didicisti. Nam qui Deum veraciter diligit, etiam ex charitate proximos complectitur. Inde tibi prouenerunt vbera misericordiae, & pietatis, ut iam noscas *gaudere cum gaudentibus, flere eum stentibus*, infirmari cum infirmantibus, ut cum scandalizatis. Dicit enim Ambrosius, quod omnis summa disciplina Christiana est in misericordia & pietate, quae aliquis sequens, si lubricum carnis patitur, sine dubio vapulabit, sed non peribit. Ceterum, ut dicit Lactantius, iustitia quamuis omnes virtutes complectatur, duae tamen sunt omnium principales, quae ab illa diuelli non possunt, scilicet pietas & aequitas. Pietas nihil aliud est, quam Dei notitia. Aequitas verò bene iudicandi peritia. Pietas autem & misericordia frequenter in sacra scriptura pro eodem ponuntur, vel vni pro reliquo ponitur. Differunt tamen in hoc, quod misericordia studet ad releuandas miseras proximorum, ex eo quod proximi sibi sunt coniuncti, vel sanguine, vel familiaritate, vel saltem naturae similitudine,

Cantic. 4.

Matth. 11.

Rom. 12.
2. Cor. 11.

Pietas quid.

Misericordia.

dine in omnibus pro mensura sumens aliquod humanum. Sed pietas mouetur ad releuandas proximorum miserias ex aliquo diuino, scilicet in quantum sunt *filij Dei, coheredes regni, & diuina similitudine* Rom. 8. insigniti.

Est autem misericordia, secundum Augustinum, humanae naturae pretiosum ornamentum: cuius expers quilibet homo male degenerat: nimirum cum secundum Ambrosium, misericordia sit plenitudo virtutum. Et ideo cunctis hominibus est proposita, sicut perfecta virtutis forma. Dicitur enim misericordia à misero corde, quia quilibet homo largiendo pauperibus tunc misericors existit, cum alterius cordis miseria cor eius compatiens, intimo mœrore tabescit. Hinc dicit Augustinus, quod misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt compatiamur proximo, & largiamur de proprio. Cuius virtus, vt dicit Leo Papa, tanta est, quod sine illa ceterae virtutes, etiam si sint, prodesse non possunt. Quamuis enim quis fidelis sit, castus & sobrius, ac alijs maioribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. Nam in illo magno summoque iudicio tanti aestimabitur, vel largientis benignitas, vel tenacis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per vnum malum illi in ignem mittuntur aeternum: & per vnum bonum isti introducuntur in regnum aeternum. Vnde virtus hæc tanta est, quod ea præ ceteris Deo quali propria attribuitur ab Ecclesia, cum dicit: *Deus, omni proprium est misereri semper, & parcere.* Et hominem in hac virtute exigit Christus sui, & Patris imitatore, dicens: *Estote misericordes, sicut Pater vester caelestis misericors est.* De quo dicit Psalmista: *Miserator, scilicet effectu, & misericors, scilicet natura & affectu, Dominus:* & hoc super ijs, qui iam pœnitent: patiens autem super ijs, qui nondum pœnitent: *& multum misericors, eos ad pœnitentiam expectando, & conuertentes ad veniam recipiendo.* Hinc dicit Anselmus: Quid misericordius intelligi potest, quam cum peccatori aeternis deputato supplicijs, & vnde se redimat non habenti, Deus Pater dicit: *Accipe Unigenitum meum, & da pro te?* Filius dicit: *Accipe me, preſto sum, & redime te?* Nam, vt dicit Augustinus: Quæcunque necessitas cogat peccatorem ad pœnitentiam, nec criminis quantitas, nec temporis breuitas, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas excludit à venia, si perfecta fuerit volûtatis mutatio: sed in amplissimos sinus mater charitas filios prodigos suscipit reuertentes. Di-

A aa

cit

Misericordia vade.

Misericordia Dei quanta.

Lucæ 6.

Psal. 102.

- cit enim Bernardus, quod sic paratus est Deus recipere fugientem, ut videri possit relictis omnibus alijs ipsi soli operam dare. Nec enim reuertenti filio prodigo dixit. Vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt quae tulisti? quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutasti? sed: *Proferre*, inquit, *primam stolam, & induite illum*. Videtis quia delicta non videt vis amoris, tardam poenitentiam pater nescit, ut merito de Deo dicatur: *Suavis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*? Omnino propter mansuetudinem tuam currimus ad te Domine, audientes quod nullum spernis pauperem, non abhorres peccatorem, non latronem confitentem, non publicanum exorantem, non Petrum lachrymantem, non Magdalenam pedes osculantem. Et si milites despectus, & iniuriatus fueris, clementer expectas, frequenter reuocas, exoratus condonas, inuocatus occurris, ut protegas, amplexaris, ut confidentiam veniae tribuas. Hinc Dauid te misericordiam vocas, ait: *Suscipimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*. Vocatur enim merito misericordia, quia (ut dicit Hugo) differunt misericordia, & miseratio, sicut fons & riuulus. Misericordia enim quasi fons est in affectu: miseratio vero quasi riuulus in effectu. Dicitur igitur misericordia. Primo, quia datus est nobis ex excellentissima misericordia, quasi summæ misericordiae donum. Secundo, quia plenus est misericordia, ut dicitur in libro Iob: *Ab infantia cum eo creuit misericordia*, magnam ostendens in incarnatione, maiorem in conuersatione, maximam in passione. Magnum enim fuisset, si misericordia rigorem iustitiae temperasset: maius, si reo poenae iudicium omnino remisisset: sed aliquid maius pro reo misericordia se facturam cogitabat. Et ad subueniendum nostrae miseriae, ad satisfaciendum suae iustitiae, ut reum absolueret, iudicem iudicari procurabat, in eo ponens iniquitatem omnium nostrorum, ut peccatum vindictam sumeret, & peccator vindictae dispendium non sentiret. Clamat igitur clauus, clamat vulnus, *Quia misericordia Domini non est numerus*. Vides quia verum est, *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere*? punire vero delinquentem alienum est ab eo. Quia, ut dicit Alexander de Hales, ad completam rationem effectus misericordiae Dei non requiritur actus, vel meritum nostrum, sicut ad rationem effectus iustitiae requiritur exigentia meritorum. Sicut enim apis habet mellificare (quod est proprium eius opus) habet etiam pungere cum molestatur, quod est opus alienum ab ea, velut extortum quadam iniuria. Vnde dicit Bernardus: Si queris, *Quomodo propri-*

proprium est illi misereri, cuius iudicia abyssus multa? Verum id quidem: sed quòd miseretur, proprium est illi. Nam ex se sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Quòd autè nos iudicat & condemnat, eum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur. Audi enim eum dicentem: *Nunquid voluntatis meae est mors impij, dicit Dominus, & non magis, vt conuertatur à vijs suis, & uiuat.* Vnde non solum Pater misericordiae, sed *Pater misericordiarum* dicitur *Deus*, quia multae sunt miseriae nostrae, ideo multitudine miserationum indigemus. Siquidem & corporis & animae tribulationes multiplicatae sunt nimis, & ab omnibus nos liberare venit. O quanta pietas, quantus affectus miserationis, & integritas ardentissimae charitatis? Totus flagellatur, conspuitur, spinis coronatur, opprobrijs saturatur, crucifigitur, & lancea transfigitur: & tamen multiplicem illum dolorem dissimulans, vicinam mortis obliuiscitur, ac latitudinem charitatis aperiens, terminosque traditae legis amplificans: *Pater*, inquit, *ignosce illis*, scilicet inimicis, & persequentibus, *quia nesciunt quid faciunt.* Iam non solum amicus amicis, sed velint nolint, amicus pariter & inimicis, ex cuius orationis efficacia numerositas inimicorum ad numerum transiit amicorum. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater & Filius caelestis misericors est, vt similes altissimo pariter, & haeredes eius effici mereamini.*

Ezech. 18.

2. Cor. 1.

Psalm. 24.

Lucae 23.

Lucae 6

De iniusta misericordia, & quòd iustitiam semper comitem habere debet, & de misericordia differentia, prout est virtus, & prout est beatitudo. Cap. LXXXIII.

Quam pulchra sunt mammae tuae soror mea sponsa. Cantic. iij. Expedi in praecedenti de eminentissima perfectione diuinæ misericordiae, ex ea iam trahatur formam misericordiae nostrae. Quia (vt dicitur in Ecclesiastico) *miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Domini super omnem carnem.* De qua misericordia dicit Thomas 2. 2. q. 30. quòd misericordia dolorem importat de aliena miseria. Qui dolor nominari potest vno modo motum appetitus sensitui, & secundum hoc misericordia quaedam passio naturalis est, & non virtus. De qua dicit Hierony. Misericordia est affectio, quae nec voluntate cohibetur, nec ratione subijcitur, sed ipsas pijs mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu: ita etiam, vt si peccatum esset misereri, & si multum vellent, non possent tamen non misereri.

Eccle. 18.